

# 101 Disp. III. Part. III. antotū disting. à suis part. 102

de sequeretur ex argumento partes etiam separatas fore totum, quia duas medietates libra sunt æqualis ponderis, atque ipsa libra dividula in medietates, quod tamen non admittent aduersari.

*Ad sextam.*

Ad sextam. Respondet Antonius Andreas Famosus Scotista *sexto Metaph. questione ultimā* maiorem propositionem illius argumentationis esse veram, si illud absolutum sit prius, & non dependens essentialiter ab alio; at compositum est posterius & essentialiter dependens à partibus. Quod si insites, Deus facit accidentis sine subiecto, cùm tamen accidentis sit posterius, & dependens essentialiter à subiecto. Respondeatur esse disparitatem, quia accidentis non habet subiectum pro causa intrinseca, sicut compositum habet materiam, & formam; Deus autem suppleret potest defectum causa extrinseca, non vero intrinseca, quia causa intrinseca includit imperfectionem, scilicet esse partem cauillat, quod in Deum cadere nullo modo potest.

*Ad septimam.*

Ad septimam. Responde entitatem totius duplicitate considerari posse. Primo in se formaliter, & præcisè, vt est quadam res distincta à suis partibus, sicutque tota differt ab omnibus suis partibus: Secundo sumitur constitutiva, & integrativa & prout dicit relationem ad partes, ex quibus componitur, proutque eas includit, & sic non differt à partibus. Adde quod posset dici totum à partibus distingui, non quidem realitate maiori, ita vt illa entitas possit remanere à partibus separata, sed realiter realitate minori, quæ & vocatur ab aliquibus *distinguo ex natura rei*, quâ distinctione videtur secundum rei veritatem distinguuntur totum à partibus unitis, nondum tamen transactis. Ad id vero, quod in ratione afferebatur, scilicet quod illa *tertia* entitas non sit summè simplex, adeò que non possit distinguiri se ipsa? Responde habeare sufficiēt simplicitatem ad talem distinctionem; dicit enim unitatem compositi, & per consequens distinctionem compositi; quod enim importat unitatem, importat quoque distinctionem, cùm unum sit id, quod est in se indissimile, & diuisibile à quocunque alio.

*Ad octauam.*

Ad octauam. Respondeo quod entitas illa *tertia* sit entitas formalis, & transcendentalis non habens in se extensionem quantitatiam: quare cum suis partibus non facit quid maius secundum molem, quam omnes eius partes simul sumptu & ob eandem etiam causam una totalis grauitas non magis ponderabit, quam ipsius partes simul sumptu.

*Ad nonam.*

Ad nonam. Respondeo authoritates Aristotelis debere intelligi causatiæ: *vnum est multa*, id est unum fit ex multis, hoc est, homo, qui est unus, causatur ex anima & corpore, & sicut ex oculo, & pupilla fit unum, ita ex corpore & anima fit unum, quod est homo. Item continuum est duas medietates, id est continuum fit ex duobus medietatis: Comment: vero cum dicit partes non est aliud à toto, verum est, quia partes includuntur in toto, nec sunt aliquid supra ipsum, aut ab ipso alienum: aut non sunt aliud à toto materialiter sumptu, aut non sunt

aliud transactæ, bene tamen aut separatae aut etiam unitæ.

Ad decimam. Dic illam tertiam Entitatem esse totum Compositum: Dum vero sit instantia: ergo materia & forma non erunt partes essentiales compositi, materia & forma transactæ, nego, non transactæ, concedo: aut die non erunt partes materiales, nego, formales concedo: & dum communiter dicitur quod materia & forma sint partes essentiales, debet intelligi de partibus transactis, si sermo sit de partibus essentialibus formalibus; nam totum ipsum, seu illa *tertia* Entitas nil est aliud, quām partes transactæ, partes vero etiam unitæ non sunt illa *tertia* Entitas, nec ipsum compositum nisi initiatum, & veluti materialiter.

*Ad decimam.*

Ad undecimam. Respondeo quod illa *tertia* Entitas est vna, & simplex formaliter, materialiter vero est composita: dum vero dicitur compositum Physicum esse compositum, intellige materialiter, & causaliter: scilicet quia constituitur causaliter ex materia & forma, quae tamen transactæ in *tertiam* Entitatem constituentur unum indivisum, & simplex; nam homo vero dicitur, & formaliter unum quid, & simplex, dici quoque poterit compositum Physicum non esse simplex materialiter, bene tamen formaliter. Adeo quod videtur supponere illud argumentum in toto remanere formaliter aliquid, quod sit ipsæ partes unitæ, non transactæ, sicutque aliiquid supra illas partes etiam unitas, non tamen transactas; hoc, inquam, falsum est apud bonum Scotistam; sed sic est intelligendum, quod postquam partes sunt unitæ inter se, statim transirent in *tertiam* entitatem, id est induant nouam entitatem, seu transirent in aliud statum, qui adhuc aliiquid amplius dicit quam statum unitonis, id est status ille unitonis non sit adhuc completum, & formale compositum.

*Ad undecimam.*

Ad duodecimam. Dic acquisitam illa entitate partes non modò dicere unitonem, sed adhuc aliiquid plus, scilicet transactiōnem in illam *tertiam* Entitatem: & cùm dicitur positam unitonem materia & forma, toto illud est ipsumsum compositum, nega hoc, sed dico quod præter illam unitonem adhuc requiratur ut compleatum, & formale sit compositum, vt dictæ partes etiam unitas transirent in *tertiam* illam Entitatem: unde corpus, & anima unita non sunt formaliter ipse homo, sed oportet ut transirent in illam *tertiam* entitatem, quæ dicitur homo.

*Ad duodecimam.*

Ad decimam tertiam. Responde intelligi Aristotelem & Comment: ut scilicet agens coniungat formam materiam, quia habent essentiam ordinem actus, & potentie ad inuicem, id est nullum vinculum requiratur, quo viviantur: de ijs vero quæ non habent inter se ordinem essentiæ, certè alia quærenda est ratio, cur ex illis fiat unum: non intendit vero loqui Aristoteles aut Comment: de illa *tertia* entitate, imò videntur illi fauere, dum indicant compositum esse maxime unum, quia materia se habet per modum potentie, & forma per modum actus, at illa *tertia* entitas, quæ est com-

*Ad decimam.*